

## CAPITULUM 12

## DE ACCIDENTE

## §1

Accidens est... 12,24-25 . Istud est quintum capitulum huius primi tractatus in quo Philosophus determinat de accidente postquam determinavit de proprio et de aliis praedicabilibus praecedentibus. Dividitur autem istud capitulum in duas partes. In prima Porphyrius definit accidens secundum modum suum; in secunda vero definit secundum modum Peripateticorum, ibi:<sup>1</sup> definiunt autem.

Definitio ergo accidentis data a Porphyrio est haec: accidens est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem. Ista definitio sequitur ex definitione proprii. Cum enim proprium et accidens opponantur in modo praedicandi, quia proprium praedicatur convertibiliter de sua specie, accidens autem non convertibiliter praedicatur de suo subiecto, necesse est quod, si proprium non potest advenire speciei absque generatione eiusdem neque abesse illi absque corruptione eiusdem, quod consequenter accidens possit advenire subiecto absque generatione illius et abesse illi absque corruptione ipsius.

Ex qua definitione sequitur quod istud quintum praedicabile est accidens, et accidens commune, et accidens infinitum et accidens per accidens. Est enim accidens, quia praedicatur accidentaliter non convertibiliter. Est accidens commune, quia praedicatur indifferenter de rebus diversarum specierum et diversorum generum; homo enim est albus, et equus est albus, et lapis est albus, et lignum est album. Item, est accidens infinitum, quia non determinat sibi aliquod subiectum propinquum; si enim album sibi determinat substantiam aut corpus, non tamen hominem neque equum, neque aliquod tale subiectum propinquum. Iterum, est accidens per accidens, quia non definitur per subiectum suum; non enim dicimus quod album sit homo vel equus habens albedinem, sed quod est res habens albedinem.

Lege litteram: accidens est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem.

## §2

De definitione secundarum intentionum

Notandum quod sicut genus et species sunt intentiones secundae definitae non pro se, sed pro rebus primarum intentionum, ita differentia, proprium et accidens sunt intentiones secundae definitae non pro se, sed pro rebus primarum intentionum. Unde illa intentio, genus, non est genus, neque illa intentio, species, est species; sed animal est genus et homo est species, pro quibus supponit genus et species. Ita haec intentio, differentia, non est differentia, neque illa intentio, proprium, est proprium, neque illa intentio, accidens, est accidens; sed rationale est differentia, et risibile est proprium, et album est accidens, pro quibus supponunt istae intentiones secundae. Et sicut genus, species et differentia in abstracto sumpta non sunt praedicabilia, sed in concreto, ut superius est ostensum, ita proprium et accidens -ut dicit Avicenna<sup>2</sup> non sunt praedicabilia accepta in abstracto, sed in concreto. Et ratio eius est quia omne praedicabile est notificatio alicuius totius; et hoc in quid aut in quale. Si in quid, aut igitur est notificatio alicuius secundum potentiam, et illud est genus, aut secundum actum, et illud est species. Si autem est praedicabile in quale, aut igitur est notificatio totius essentialiter, et sic est differentia, aut accidentaliter, et illud est proprium vel accidens. Si enim est notificatio totius accidentaliter convertibiliter, sic est proprium; si autem est notificatio totius accidentaliter non convertibiliter, illud est accidens. Non igitur risibilitas est proprium neque albedo est accidens, quia tam proprium quam accidens praedicatur in quale; constat autem quod ad interrogationem factam de aliquo 'quale est hoc', numquam respondebitur quod risibilitas vel albedo, sed

respondebitur 'risibile' aut 'album'. Sed quoniam ad interrogationem factam per 'quid est hoc' potest responderi 'risibilitas' vel 'albedo', propterea risibilitas et albedo debent vocari species praedicamenti qualitatis. Et si ex hoc concluderetur quod sicut haec est praedicatio denominativa 'homo est albus', ita et ista 'homo est risibilis', ex quo utrobique praedicatur concretum de subiecto, negatur consequentia. Quia illud quod denominative praedicatur non concernit determinatum subiectum neque determinata principia; constat autem quod risibile concernit determinatum subiectum et determinata principia, album autem non respicit aliquod istorum; ideo album praedicatur denominative, non autem risibile.

## §3

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod proprium non est praedicabile distinctum ab accidente. Quoniam omne ens est substantia vel accidens, per Philosophum, VII Metaphysicae; <sup>3</sup> sed proprium est ens; igitur est substantia vel accidens; non autem substantia; igitur accidens. Et per consequens proprium est pars subiectivas accidentis, ex quo omne proprium est accidens et non e contra.

Secundo arguitur quod accidens non est universale. Quia universalia sunt perpetua et aeterna, per Aristotelem, I Posteriorum; <sup>4</sup> constat autem quod accidens non est perpetuum, si adest et abest praeter subiecti corruptionem, ut dicit definitio accidentis.

Deinde, cum universale sit per se unum in multis et de multis, quaero utrum accidens habet per se individuum aut non. Si non habet per se individuum, ergo non est universale. Si habet per se individuum, ut unumquodque universale per hoc habet perfectum esse, quia est in suo individuo, igitur accidens habet suum esse perfectum per hoc quod est in suo individuo; igitur non recipit perfectionem a substantia -cuius

oppositum probatur VII Metaphysicae.<sup>5</sup>

Tertio arguitur contra definitionem accidentis in se, quia illa definitio non competit cuilibet contento sub definito; quoniam mors, corruptio et combustio sunt accidentia quibus non competit dicta definitio, quoniam nullum istorum potest adesse et abesse praeter subiecti corruptionem. Competit etiam dicta definitio alteri a definito; nam forma substantialis non est accidens, et tamen adest et abest praeter subiecti corruptionem, quia materia prima, quae est subiectum formae substantialis, est ingenerabilis et incorruptibilis, ut probatur I Physicorum.<sup>6</sup>

Quarto arguitur contra ordinem definitionis; nam in qualibet definitione debet aliquid poni loco generis et aliquid loco differentiae, neque dari debet aliqua definitio per notam copulationis neque per opposita, ut probatur VI Topicorum;<sup>7</sup> constat autem quod in hac definitione nihil assignatur loco generis vel differentiae, et datur dicta definitio per notam copulationis et per opposita, quia adesse et abesse sunt opposita respectu eiusdem.

As primum dicitur quod accidens dupliciter sumitur, scilicet large et stricte. Accidens large sumptum est prima intentio, distincta contra substantiam, dicens modum essendi in alio, sicut substantia dicit modum essendi per se; et sic non datur medium inter substantiam et accidens, sicut non datur medium inter esse per se et esse in alio. Isto modo est concedendum quod proprium est accidens, et quod est pars subiectiva eius, eo quod accidens sic sumptum est quoddam analogum ad novem praedicamenta accidentium. Accidens stricte sumptum est secunda intentio, dicens modum praedicandi de alio; et sic proprium est praedicabile distinctum ab accidente propter diversum modum praedicandi, quoniam proprium praedicatur per se et convertibiliter, accidens autem praedicatur per accidens et non convertibiliter. Proprium enim fluit a principiis immobilibus speciei, quae sunt genus et differentia;

accidens vero fluit a principiis mobilibus individui, quae sunt talis forma et talis materia taliter vel taliter complexionata vel habitata. Si enim quaeritur propter quid homo est risibilis, respondetur 'quia est animal rationale'; si autem quaeritur propter quid homo est albus, non assignatur causa illa, sed alia, videlicet quia habet corpus perspicuum terminatum abundans in luce.

Ad secundum respondetur quod accidens in eo quod est universale est perpetuum et aeternum, in eo vero quod recipitur in individuo generabili et corruptibili, sic non est aeternum. Consequenter concedatur quod accidens habet proprium et per se individuum, videlicet hoc album, hoc nigrum et huiusmodi, et quod accidens habet esse perfectum per hoc quod recipitur in suo individuo. Ex quo tamen non sequitur quod suam perfectionem non recipiat a substantia, quoniam accidens recipitur in individuo, quod redditur perfectum propter substantiam quae est in ipso. Et quo habetur differentia inter accidens et accidentale, quoniam omne accidens alicuius est accidentale illi, non tamen e contra, quoniam subiectum accidentis est quoddam accidente illi, non tamen est accidens, quia cum ipsum sit substantia alteri substans praedicatur in quid.

Ad tertium respondet Albertus<sup>8</sup> quod mors, cum sit privatio principiorum substantialium, et combustio privatio principiorum figurae, talia non sunt accidentalia per accidens, sed per se, eo modo quo loquitur Philosophus, I Posteriorum,<sup>9</sup> dicens quod interfectus per se interiit propter interemptionem.

Ista responsio est dubia, quia accidentia per se non corrumpunt subiectum suum, sed magis praeservant, sicut patet de risibili, hinnibili et huiusmodi. Deinde, accidentia per se fluunt a principiis speciei; haec autem non fluunt a principiis speciei, sed magis a principiis individui taliter se habentibus.

Et ideo dicit Burlaeus<sup>10</sup> quod corruptio substantiae est accidens

substantiae et quod adest et abest substantiae praeter substantiae corruptionem, id est: potest non inesse substantiae manente substantia.

Sed haec responsio est magis dubia, quia si manet substantia, non tamen manet illa cuius mors fuit accidens. Si enim album adest praeter subiecti generationem et abest praeter subiecti corruptionem, oportet quod de illo subiecto ista verificentur cuius album est accidens.

Dicendum ergo quod Porphyrius intendit de accidentibus in concreto et non in abstracto, et de accidentibus positivis et non privativis, et de accidentibus quorum subiectum est in actu et non in potentia. Constat autem quod mors, corruptio et combustio sunt accidentia in abstracto et non in concreto, sunt accidentia privativa et non positiva, sunt accidentia quorum subiectum non est in actu sed in potentia, videlicet prima materia, ut colligitur a Philosopho, I De generatione.<sup>11</sup> Loquitur ergo Porphyrius de accidentibus convenientibus subiecto in actu, dantibus nomen et rationem, non autem de repugnantibus subiecto, auferentibus nomen et rationem. Neque obstat illud Aristotelis in Posterioribus<sup>12</sup> "interfectus interiit propter interemptionem", quia non accipitur ibi 'interemptio' tamquam passio vel accidens alicuius, sed ut causa effectiva mortis. Et quoniam Porphyrius non loquitur de subiecto in potentia, quod est prima materia, sed de subiecto in actu, quod est compositum ex materia et forma, ideo argumentum de forma substantiali non procedit. Quia si adest et abest praeter generationem et corruptionem subiecti in potentia, quod est materia, non tamen adest praeter generationem subiecti in actu neque abest praeter corruptionem eiusdem subiecti, quod est compositum ex materia et forma.

Ad quartum dicitur quod ly 'adesse' et 'abesse' possunt esse primae intentiones, importantes modum essendi in alio, aut secundae intentiones, importantes modum praedicandi de alio, et utroque modo definitio

est vera. Tamen quia logicus considerat accidens ut habet modum praedicandi et non ut habet modum essendi, ideo Porphyrius accipit adesse et abesse ut sunt intentiones secundae, importantes modum praedicandi. Et consequenter dicatur quod ly 'praeter corruptionem' etiam importat modum praedicandi. Quo intellecto habetur definitio quam intendit Porphyrius: loco igitur generis intendit monere universale, et per adesse et abesse intendit accidentaliter praedicari; et per hoc vero quod additur 'praeter corruptionem subiecti' intendit non convertibiliter praedicari. Et tunc habetur definitio de accidente quam intendit Porphyrius, videlicet 'accidens universale quod est praedicabile accidentaliter non convertibiliter de subiecto'.

Cum autem obicitur quod nulla definitio debet dari per notam copulationis, illud est intelligendum de definitione pure quidditativa; de definitione autem quae est quaedam descriptio seu notificatio definiti illud non est inconueniens. Consequenter negatur quod illa definitio detur per opposita, quia adesse et abesse non opponuntur, nisi pro eadem mensura respectu eiusdem, Porphyrius autem intendit adesse et abesse respectu eiusdem non simul pro eodem instanti, sed successive pro diversis temporibus.

## §4

Dividitur autem... 12,25-13,1 . Posita definitione accidentis, consequenter ponit Porphyrius divisionem eius, dicens quod accidentium quoddam separabile et quoddam inseparabile. Accidens separabile est illud quod potest abesse praeter corruptionem subiecti, ut dormire, vigilare et huiusmodi; aliquis enim homo dormiens potest non dormire, et aliquis vigilans potest non vigilare praeter corruptionem eius. Accidens inseparabile est illud quod non potest abesse praeter corruptionem subiecti, sicut nigrum quod dicitur inesse corvo et aethiopi inseparabiliter, et album cygno; non enim potest corrumpi nigredo corvi

aut aethiopsis sine corruptione illius, neque albedo cygni potest corrumpi quin corrumpatur cygnus. Aliqua enim est complexio in materia a qua simul dependet esse individui et esse accidenti; ideo corrupto accidente corrumpitur illa complexio, et consequenter corrumpitur individuum substantiale. Ubi autem variatur complexio potest unum sine alio corrumpi; nam quia alia est complexio a qua dependet Sortes in esse et alia a qua dependet albedo sua, potest corrumpi albedo Sortis ipso manente, et e contra potest corrumpi Sortes albedine manente. Quia ergo eadem est complexio a qua dependet corvus seu aethiops in esse et sua nigredo, ideo corrupta nigredine corrumpitur corvus. Non tamen e contra corrupto corvo corrumpitur nigredo eius, quia ab illa complexione dependet corvus tam in fieri quam in facto esse; nigredo autem dependet in fieri et non in facto esse.

Lege litteram: dividitur autem in duo accidens, videlicet in accidens separabile et inseparabile; namque dormire separabile accidens est, nigrum vero inseparabiliter corvo et aethiopi accidit.

## §5

Potest autem subintelligi... 13,1-3 . Et si qui instaret, dicens 'haec divisio repugnat definitioni accidentis, quoniam si omne accidens adest et abest praeter subiecti corruptionem, nullum ergo est accidens inseparabile', respondet Porphyrius dicens quod nigrum corvi et aethiopsis est separabile et inseparabile. Separabile quidem secundum intellectum, inseparabile vero secundum rem. Quoniam licet corvus niger non possit esse albus, tamen potest intelligi albus; et licet aethiops niger non possit habere colorem clarum, tamen potest intelligi nitens candore; et hoc praeter corruptionem eius.

Lege litteram: potest autem subintelligi et corvus albus et aethiops nitens candore praeter subiecti corruptionem.



De duplici expositione litterae

Notandum quod huius litterae duplex est expositio. Prima est Alberti,<sup>13</sup> dicentis quod quaedam est constitutio subiecti essentialis et quaedam accidentalis. Constitutio subiecti essentialis est illa quae est ex principiis substantialibus ad speciem vel ad individuum speciei determinatis; et ex tali constitutione fluit proprium sicut risibile. Constitutio accidentalis est illa quae provenit ex qualitatibus primis et non ex ipsis principiis substantialibus, quae sunt materia et forma; ex hac constitutione fluit accidens tam separabile quam inseparabile. Quod enim nigredo corvi aut aethiopis non possit provenire ex principiis substantialibus tali signo ostenditur: si enim accipiatur ovum corvi cum argento vivo in humore viscoso anseris vel gatti, quae sunt animalia frigida, et ponatur nidus in frigidissimo loco summorum montium, ex ovo illo generabitur corvus albus. Immo aliquando fit albus ex sola loci excellenti frigiditate. Aethiops etiam in locis frigidis albescit. Quod quidem non esset nisi principia a quibus manant essent separabilia.

Haec omnia vera sunt, sed ex his non bene habetur intellectus Porphyrii. Quoniam Porphyrius dicit quod nigredo corvi et nigredo aethiopis sunt accidentia inseparabilia, Albertus autem ostendit quod sunt accidentia separabilia. Deinde, albedo nivis et motus caeli sunt accidentia omnino inseparabilia, quae non possunt abesse praeter subiecti corruptionem. Si autem dicitur ut ait Porphyrius, quod licet non possint abesse per separationem realem tamen possunt abesse per separationem intellectualem, quoniam intellectus potest intelligere nivem nigram et caelum quiescere, sed tunc est dubium utrum talis intellectus sit verus aut falsus. Si verus, ergo nix potest esse nigra et caelum potest quiescere -quod nullus diceret. Si intellectus est falsus, ergo consimiliter et risibile est separabile ab homine, quia intellec

tus potest intelligere hominem non esse risibilem aut hominem esse ru  
dibilem.

Secunda est expositio Burlaei,<sup>14</sup> dicentis quod dicta divisio non  
repugnat definitioni accidentis, quoniam praedicta definitio competit  
accidenti inseparabili. Nam accidens, licet sit inseparabile respectu  
unius subiecti, est tamen separabile respectu alterius; ita quod omne  
accidens secundum speciem est separabile a suo subiecto, et hoc respectu  
individui eiusdem speciei aut alterius. Verbi gratia, curvitas, lice  
t sit inseparabilis a naso curvo, tamen est separabilis a naso eiu  
sdem speciei, videlicet recto aut aquilino. Nigredo autem, etsi non  
est separabilis ab aliquo individuo speciei corvinae, est tamen separa  
bilis ab individuo alterius speciei, videlicet ab homine.

Ista responsio etiam est dubia, quoniam Porphyrius comparat tam ac  
cidens separabile quam inseparabile ad subiectum de quo praedicatur  
et non ad subiectum de quo non praedicatur; sed nigredo corvi de nullo  
praedicatur nisi de corvo, videlicet in concreto; ergo nigredo cor  
vi non dicitur esse accidens separabile vel inseparabile nisi respectu  
corvi. Deinde, sequitur quod risibile est accidens separabile, quia ri  
sibile quod est in Sorte separatur a risibili quod est in Platone; pote  
st enim corrumpi hoc risibile, demonstrando Sortem, manente illo ri  
sibili, demonstrando Platone.

Dicendum ergo quod separabile et inseparabile in divisione dicit po  
tentiam, in definitione vero adesse et abesse dicit aptitudinem; illud  
ergo accidens est separabile quod potest corrumpi suo subiecto manente,  
et illud est inseparabile quod non potest corrumpi praeter corruptionem  
subiecti. Accidens autem adest praeter subiecti generationem in quantu  
m est aptum natum generari suo subiecto non generato; abest autem  
praeter corruptionem subiecti in quantum est aptum natum corrumpi suo  
subiecto manente. Et licet verum sit quod aliquis corvus potest esse  
albus, quia de facto generantur corvi albi in regionibus frigidis si-

cut nigri in regionibus calidis, sicut contingit de hominibus quorum aliqui generantur nigri et alii albi -si enim semen in matrice fuerit coctum forti decoctione necesse est quod generetur homo niger, quia tunc evaporat humidum clarum et remanet terrestre nigrum obscurum-, sed dato quod non sit possibile aliquem esse corvum album sicut non est possibile aliquam nivem esse nigram, dicitur quod nigredo corvi inseparabilis est, quia non potest corrumpi remanente corvo. Tamen abest praeter subiecti corruptionem, quia est apta nata corrumpi non corrupto corvo. Ex quo enim corvus non est de ratione suae nigredinis neque nigredo de ratione corvi; sicut non repugnat naturae corvi quod sit sine nigredine, ita non repugnat naturae nigredinis corvi corrumpi non corrupto corvo. Et hoc intendit Porphyrius, dicens quod potest intelligi corvus albus, et hoc intellectus vero; in quantum non repugnat albedo naturae corvi sicut neque color clarus repugnat naturae aethiopsis. Consimiliter dicatur de motu caeli et albedine nivis, quod licet nullum istorum accidentium possit corrumpi praeter corruptionem sui subiecti, tamen quodlibet istorum est aptum natum corrumpi manente suo subiecto. Ex quo in ratione motus caeli non includitur caelum, neque in ratione albedinis nivis includitur nix. Omnes enim albedines sunt eiusdem rationis, cum albedo sit species specialissima. Sed in ratione albedinis hominis non includitur nix; igitur neque in ratione albedinis nivis includitur nix.

## §7

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod Porphyrius non bene solvit difficultatem tactam per esse separabile secundum intellectum et inseparabile secundum rem, quia separatio secundum intellectum et separatio secundum rem sunt separationes aequivocae; constat autem quod aequivoca poni non debent in assignationibus definitionum.

Secundo arguitur quod non potest intelligi corvus albus intellectu vero, quoniam corvus non potest esse albus stante illa suppositione Porphyrii; igitur illa propositio 'corvus est albus' non potest esse vera. Patet consequentia, quia ex eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, ut habetur in Postpraedicamentis.<sup>15</sup>

Tertio arguitur quod nigredo corvi non est apta nata corrumpi subiecto manente, quia sicut se habet simitas ad nasum, ita nigredo ad corvum; sed simitas non est apta nata corrumpi non corrupto naso; igitur etc. Tenet consequentia cum minori. Maior vero est nota, eo quod sicut simitas comparatur ad nasum tamquam ad subiectum et ad causam essentialem eius, ita etiam nigredo ad corvum.

Quarto arguitur quod nigredo corvi non est accidens inseparabile, quia in definitione accidentis inseparabilis ponitur subiectum, secundum Philosophum, I Physicorum;<sup>16</sup> sed in definitione nigredinis corvi non ponitur corvus; igitur etc. Deinde, risibile est illud quod est aptum natum ridere, igitur per idem separabile est illud quod est aptum natum separari; sed nigredo corvi est apta nata separari, ut concessum est; ergo nigredo corvi est accidens separabile.

Ad primum dicitur quod separatio secundum intellectum et separatio secundum rem sunt separationes aequivocae quando separationi secundum intellectum non correspondet separatio in re. Nunc autem, etsi nigredo separatur a corpo secundum intellectum, etiam separatur aliquo modo in re, etsi non actu vel potentia, tamen secundum aptitudinem. Potest tamen dici quod non intendit Porphyrius nigredinem corvi esse accidens separabile secundum intellectum et accidens inseparabile secundum rem, sed intendit nigredinem corvi non propter hoc esse de essentia corvi, quia est separabilis a corvo. Quia si nigredo corvi esset de essentia corvi, non posset intelligi corvus quin intelligeretur nigredo ipsius. Consequens est falsum, quia potest intelligi corvus albus.

Ad secundum respondetur quod potest intelligi corvus albus intellectu

vero, non quod ista propositio sit vera aut possit esse vera 'corvus est albus', sed quia ista propositio est vera 'corvus est aliquid cui non repugnat albedo'. Licet enim corvo, ut est in tali materia taliter complexionata, repugnet albedo, tamen corvo, ut est quaedam natura spe cifica constans ex materia et forma non repugnat albedo.

Ad tertium negatur maior universaliter, quoniam licet quo ad aliqua sit similitudo, tamen quo ad alia est dissimilitudo. Unde simitas con cernit nasum tamquam differentiam ponendam in sua definitione, corvus autem non ponitur in definitione nigredinis eius, neque sicut genus ne que sicut differentia; ideo simitas non est apta nata corrumpi non cor rupto naso, qui est subiectum eius, nigredo autem corvi est apta nata corrumpi manente corvo. Unde nigrum corvi est simpliciter accidens; si mum vero est aliquo modo accidens et aliquo modo proprium. Est enim accidens ratione subiecti, quia nasus non determinat sibi simitatem, et est proprium ratione passionis, quia simitas determinat sibi nasum.

Ad quartum respondetur quod divisio quam Aristoteles facit in I Phy- sicorum<sup>17</sup> de accidente separabili et inseparabili, licet verbaliter coincidat cum ista, non tamen in significatione. Quia Aristoteles ibi per accidens separabile intendit accidens commune, quod est accidens per accidens, et per accidens inseparabile intendit accidens proprium, quod est accidens per se, in cuius definitione ponitur subiectum; hic autem Porphyrius per accidens, tam separabile quam inseparabile, inten- dit accidens commune potens a subiecto suo separari vel non separari.

Item, ista nomina desinentia in '-bilis' vel <sup>in</sup> '-bile' possunt deno- tare potentiam vel aptitudinem. Verbi gratia, Philosophus, I Caeli,<sup>18</sup> dicit quod omne corruptibile necessario corrumpetur. Iy 'corruptibile' non dicit aptitudinem, quia aliquid est aptum natum corrumpi quod num quam corrumpetur, videlicet elementum terrae vel ignis, sed dicit potentiam, quia omne quod potest corrumpi necessario corrumpetur. Sexto autem Physicorum<sup>19</sup> probat Aristoteles quod omne corpus est mobile, ubi

ly 'mobile' dicit aptitudinem et non potentiam, eo quod elementum terrae non potest moveri, loquendo de motu locali, quia necesse est terram quiescere, ut probatur II Caeli;<sup>20</sup> tamen totum elementum terrae est aptum natum moveri localiter, ex quo habet in se principium motus et quietis, ut colligitur a Philosopho, II Physicorum.<sup>21</sup>

Dicendum ergo quod ly 'separabile' potest dicere potentiam et aptitudinem. Si dicit potentiam, iuxta intellectum Porphyrii, sic nigredo corvi non est separabilis; si autem dicit aptitudinem, concedatur quod est separabilis, et tamen non potest separari. Sicut conceditur quod aliquid est corruptibile non potens corrumpi, et aliquid est mobile non potens moveri, et quod aliquis homo est risibilis qui non potest ridere. Quae quidem impossibilitas non provenit ex parte principiorum speciei, sed ex parte principiorum individui, quae sunt qualitates primae vel secundae taliter vel taliter disponentes materiam.

Sed dubitatur: si in generatione nigredinis generatur corvus et in corruptione corrumpitur corvus, sequitur quod transmutatio ad nigredinem est generatio et transmutatio ab eadem est corruptio, contra Aristotelem, V Physicorum,<sup>22</sup> dicentem quod transmutatio inter contraria est motus et non generatio nec corruptio.

Respondetur negando consequentiam. Si enim generatur corvus in generatione nigredinis aut corrumpitur corvus in corruptione nigredinis, hoc est per accidens, eo quod in substantia non est motus nisi per accidens, ut probatur V Physicorum.<sup>23</sup>

### §8

Definiunt autem... 13,3-4 . Ista est secunda pars huius capituli, in qua Porphyrius manifestat duas definitiones accidentis datas a Peripateticis, postquam praemisit suam. Quarum prima est haec: accidens est quod contingit eidem inesse et non inesse. Cum enim causa accidentis non sit essentialis sicut est causa proprii, sed accidentalis et

mutabilis, et consequenter contingens ad utrumlibet, necesse est quod proveniens ex tali causa contingenter mutabili contingat eidem subiecto inesse et non inesse. Et per hoc distinguitur accidens ab omni alio praedicabili: genus enim, species et differentia essentialiter praedicantur de subiectis suis; proprium vero, etsi accidentaliter praedicatur de specie, hoc est per causam immutabilem, quae est principium speciei, ideo non contingit eidem inesse et non inesse. Solum autem accidens est illud quod contingit eidem subiecto inesse et non inesse, ut sedere, stare, album, nigrum et huiusmodi.

10 Lege litteram: definiunt autem sic quoque Peripatetici: accidens est quod contingit eidem inesse et non inesse.

## §9

15 Vel quod neque... 13,3-5 . Secunda definitio est haec: accidens est quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium; semper autem est in subiecto subsistens.

Non sufficit pars negativa absque affirmativa, quia definitio datur causa innotescendi; negatio autem non facit cognoscere, quoniam ipsa cognoscitur per affirmationem, ut probatur I Posteriorum,<sup>24</sup> sicut privatio per habitum. Non etiam sufficit pars affirmativa, quoniam tunc accidens non differret a proprio, eo quod proprium semper est in subiecto subsistens. Sed positis ambabus partibus simul, negatio cum affirmatione et affirmatio cum negatione, dat cognoscere definitum.

20 Lege litteram: vel sic: accidens est quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium; semper autem est in subiecto subsistens.

## §10

Omnibus ergo determinatis... 13,6-8 . Ex praedictis Porphyrius epilogando circa determinata et continuans dicta in primo tractatu dicendis in secundo tractatu iuxta considerationem logicam ait: omnibus

ergo determinatis quae posita sunt in prologo determinanda, dico autem genere, specie, differentia, proprio et accidente, dicendum est quae eis communia sunt et propria.

## §11

De definitionibus accidentis

Notandum primo quod Philosophus, I Topicorum,<sup>25</sup> ponit ambas istas definitiones, quarum affirmativam dicit esse maiorem negativa, quoniam ipsa est magis finita et determinata. Non enim potest sciri definitio negativa nisi sciatur quid est genus, quid species, quid differentia et quid proprium; haec autem non oportet scire in definitione affirmativa, sed sufficit scire quid importatur nomine subiecti et quid importatur per 'inesse' et 'non inesse'.

Avicenna<sup>26</sup> autem reprehendit hanc definitionem negativam. Primo in hoc quod dicitur 'semper', quia accidens adest et abest praeter subiecti corruptionem; ergo non semper est in subiecto. Secundo in hoc quod dicitur 'in subiecto', quia, cum accidens dicatur ad aliud cadendo, illud autem aliud ad quod cadit accidens est subiectum; frustra ergo apponitur 'subiectum'. Tertio in hoc quod dicitur 'subsistens', quoniam intellecto quid importatur nominis accidentis statim scitur quod accidens non est per se subsistens; frustra ergo ponitur 'subsistens'. Quarto in hoc quod per hanc definitionem possunt definiri omnia praedicabilia, dicendo 'genus est illud quod non est species, neque differentia, neque proprium, neque accidens; semper autem est in subiecto subsistens'; sic etiam definietur species, differentia et proprium, ponendo in definitione omnia praedicabilia praeter illud quod definitur.

Respondetur quod licet definitio affirmativa sit melior quam sit negativa, non tamen propter hoc negativa est defectuosa, attento quod loco generis ponatur universale. Dicitur autem 'semper' non quidem ad denotandum omne accidens perpetuari in subiecto suo, sed ad innuendum



quod accidens quamdiu est, ipsum est in subiecto, ita quod non potest esse sine subiecto. Et licet accidens sit idem quod ad aliud cadens et non potens per se existere, tamen quia haec non explicite ponuntur in definito, in definitione debent exprimi, ut distincte cognoscatur natura accidentis. Quod autem per hanc definitionem doceatur quis definire omnia alia praedicabilia, nullum inconueniens accidit, immo multam utilitatem consequimur. Per hoc enim scimus quod nullum praedicabile est per se existens, sed necessario habet esse in subiecto; unde subiectum generis est species, subiectum speciei est individuum, subiectum differentiae est genus et species, subiectum proprii est species, subiectum accidentis est individuum. Solet enim dici quod proprium est accidens speciei, et accidens per accidens est accidens individui; constat autem quod hic definitur accidens per accidens.

## §12

De distinctionibus accidentis

Secundo notandum quod de accidente dantur quattuor distinctiones. Prima distinctio est ista, quod accidentium quoddam commune et quoddam proprium. Accidens commune est illud in cuius definitione non ponitur subiectum, ut album et nigrum. Accidens proprium est illud in cuius definitione ponitur subiectum, ut simus et aquilinus, in quorum definitionibus ponitur nasus.

Secunda distinctio: accidentium communium quoddam separabile et quoddam inseparabile. Separabile est illud quod potest corrumpi suo subiecto manente, sicut est dormire et vigilare. Inseparabile est illud quod non potest corrumpi praeter corruptionem sui subiecti, ut nigredo corvi et albedo cygni.

Tertia distinctio: accidentium priorum quaedam sunt aequalia subiectis suis et quaedam inaequalia. Aequalia sunt illa quae convertuntur cum subiectis suis, ut risibile et rudibile, quae determinant sibi

subiecta sua et e contra. Inaequalia sunt illa quae non convertuntur cum subiectis suis, videlicet quae determinant sibi subiecta sua et non e contra, ut simitas et crispitudo. Simitas enim determinat sibi nasum et crispitudo caput, sed nasus non determinat sibi simitatem neque caput crispitudinem; propter quam causam ex parte subiecti dicuntur accidentia communia et per accidens, licet ex parte sui sint accidentia propria et per se.

Quarta distinctio, quae sequitur ex datis, est quod accidentium quaedam fluunt a principiis speciei tantum, quaedam a principiis individui tantum, et quaedam a principiis individui et speciei simul. Accidentia quae convertuntur cum subiectis suis fluunt a principiis speciei tantum; accidentia quae non definiuntur per subiecta sua fluunt a principiis individui tantum; accidentia vero quae definiuntur per subiecta sua et non convertuntur cum illis fluunt a principiis speciei et a principiis individui. Nisi enim fluerent a principiis speciei non definirerentur per subiecta sua, et nisi fluerent a principiis individui converterentur cum subiectis suis.

### §13

#### Quattuor argumenta contra definitionem affirmativam accidentis, cum suis responsionibus

Contra definitionem affirmativam arguitur. Primo sic: data illa sequitur quod accidens est minus praedicabile ceteris praedicabilibus. Consequens falsum, quia accidens de pluribus praedicatur quam aliquod aliud praedicabile. Et patet consequentia, quia illud quod semper praedicatur de aliquo est magis praedicabile quam illud quod de nullo semper praedicatur sed aliquando sic et aliquando non; constat autem quod genus, species, differentia et proprium semper de eodem praedicantur, accidens autem de nullo semper praedicatur, si accidens est illud quod contingit eidem inesse et non inesse; igitur etc.

Secundo sequitur quod accidens est accidens separabile invicem convertuntur. Consequens falsum, quia accidens separabile est pars subiectiva accidentis, ex quo accidens dividitur, secundum Porphyrium,<sup>27</sup> in accidens separabile et accidens inseparabile. Et patet illud sequi: quoniam illa convertuntur quorum est eadem definitio; constat autem quod definitio hic data est definitio accidentis separabilis, ut testatur Philosophus, I Physicorum.<sup>28</sup>

Tertio: omne accidens definitur per subiectum suum, ergo nullum accidens contingit eidem inesse et non inesse. Patet consequentia, et antecedens probatur: nam color, odor et sapor definiuntur per subiecta sua, igitur et omnia alia accidentia sic definiuntur. Antecedens patet, quoniam subiectum primum et immediatum coloris est superficies, per Philosophum, IV Physicorum;<sup>29</sup> ipsa autem superficies ingreditur definitionem coloris, cum definitur color in libro De sensu et sensato,<sup>30</sup> quando ait Philosophus: "color est extremitas perspicui in corpore terminato", ubi Philosophus per 'extremitatem' intendit superficiem. Quinto autem Metaphysicae<sup>31</sup> dicit quod haec est per se in secundo modo 'superficies est alba'.

Item, complexio frigidi et humidi est subiectum saporis, complexio autem calidi et sicci est subiectum odoris, ut colligitur a Philosopho in libro De sensu et sensato;<sup>32</sup> constat autem quod frigidum et humidum ponitur in definitione saporis, calidum autem et siccum ponitur in definitione odoris; nam sapor est passio frigidi et humidi, odor vero est passio calidi et sicci, per Philosophum, II De anima.<sup>33</sup>

Quarto arguitur quod illa definitio non competit cuilibet contento sub definito, exemplificando de similitudine et nigredine corvi, et sphericitate caeli, et luce solis et de aliis innumerabilibus quae non possunt relinquere subiectum suum; ergo talis non contingunt eidem inesse et non inesse, neque simul neque successive.

Ad primum conceditur quod accidens minus habet rationem praedicabili

lium propter rationem dictam. Et non sequitur 'de pluribus praedicatur accidens quam aliquod aliorum, igitur magis habet rationem praedicabilis'; sicut enim magis habet rationem formae illa quae semper est in eodem subiecto et semper dat nomen et definitionem quam illa quae non semper est in eodem subiecto neque semper dat nomen et definitionem, ita magis habet rationem praedicati et praedicabilis illud quod semper de eodem praedicatur et semper notificat idem quam illud quod non semper de eodem praedicatur neque semper notificat idem.

Ad secundum negatur consequentia, et ad probationem dicitur quod Philosophus, I Physicorum,<sup>34</sup> per 'accidens separabile' intendit accidens commune, de quo etiam intendit ipse I Topicorum<sup>35</sup> et Porphyrius hic.<sup>36</sup> Ita quod tam hic quam ibi definitur accidens commune, sive sit commune quia non concernit subiectum suum, ut album et nigrum, sive sit commune quia non concernitur a subiecto suo, ut simus et aquilinus. Dictum est enim quod aliquod accidens est simpliciter commune et aliquod secundum quid. Illud est simpliciter commune quod non determinat sibi suum subiectum, neque e contra; illud autem est commune secundum quid quod, si determinat sibi subiectum, tamen non determinatur a subiecto. Et secundum hoc dicitur quod tale accidens est commune communitate subiecti, sed non est commune communitate passionis; quoniam subiectum potest inveniri sub ista passione et sub opposito ipsius in differenter, passio autem ista non potest inveniri in alio subiecto.

Ad tertium respondetur quod in omnibus his definitionibus fit mentio de subiecto in actu et non de subiecto in potentia, cuiusmodi est materia prima, quae est subiectum inhaesionis, aut superficies, quae est subiectum dispositionis. Nihil enim proprie est subiectum de quo praedicatur accidens nisi substantia composita ex materia et forma. Quod enim superficies sit alba aut prima materia nigra non ita proprie dicitur sicut quod homo est albus et equus est niger; constat autem quod talia subiecta in actu non ingrediuntur definitiones colo-

rum, odorum et saporum. Et dato quod ingrederentur, non propter hoc falsificaretur definitio accidentis, quia superficies ponitur in defi nitione albedinis, et tamen eidem superficiei eadem albedo aliquando inest et aliquando non inest, eadem superficiei manente.

Ad quartum respondetur quod inesse et non inesse non dicunt actum nec potentiam, sed aptitudinem. Et tunc est sensus illius definitionis iuxta considerationem logicam: 'accidens est universale quod est prae dicabile de eodem affirmative et negative, non quidem quod actu prae dicatur aut quod poterit praedicari affirmative et negative, sed quod est aptum natum sic praedicari; et hoc quidem simul aut successive'. Simitas enim praedicatur simul affirmative et negative de eodem naso, non quidem numero, sed specie, quia aliquis nasus est simus et aliquis non est simus. Omnia autem alia sunt apta nata praedicari successive, affirmative et negative de eodem numero, ex quo non concernunt subie ctum; licet non sic praedicari possint.

Ex praedictis sequitur quod cum aptitudo essendi in subiecto prae cedat aptitudinem praedicandi de illo, et aptitudo praedicandi de subiecto praecedat subsistentiam essendi in illo, per primam definitio nem potest demonstrari secunda et per secundam potest demonstrari ter tia. Sic arguendo: omne quod est aptum natum adesse et abesse alicui subiecto praeter corruptionem eius, est aptum natum praedicari de illo affirmative et negative; sed omne accidens est aptum natum adesse et abesse alicui subiecto praeter corruptionem illius; igitur omne acci- dens est aptum natum praedicari de illo affirmative et negative.

Item, omne quod est aptum natum praedicari de aliquo affirmative et negative est illud quod non est genus, neque species, neque diffe rentia, neque proprium, sed semper est in subiecto subsistens; omne accidens est aptum natum de aliquo praedicari affirmative et negative; ergo omne accidens est illud quod non est genus neque species, neque differentia, neque proprium, sed semper est in subiecto subsistens.

Propter quid Porphyrius hic prius  
definit et postea distinguit

Dubitatur propter quid in determinatione omnium aliorum universalium Porphyrius prius distinxit et postea definivit, hic autem econtra prius definivit et postea distinxit.

Respondetur quod si aliquid est distinguendum sic quod membra non coincidunt nec unum est pars subiectiva alterius, semper distinctio praecedit definitionem; constat autem quod accidens, si distinguitur, necesse est quod unum membrum divisionis sit pars subiectiva alterius, eo quod accidens stricte sumptum est pars subiectiva accidentis large sumpti. Ideo bene facit Porphyrius immediate definire accidens stricte sumptum, deinde ipsum dividere in eas partes de quibus vere dicitur definitio, licet appareat oppositum, secundum quod in antehabitis ostensum est. Quare etc.